



COLLECTANEA GENEALOGICO- HISTORICA.

CAPUT I.

COMITES AB ORTENBURG.

Llustriſſimæ Sacri Romani Imperii Comitum Ortenburgensium Stirpi accensendus est Fridericus Comes ab Ortenburg, qui pro Nepotibus suis Wulfin-go Parocho in Bruck/ Ulrico, Friderico, & Henrico, Dominis de Stubenberg apud affinem suum, Nobilem Virum Ottonem à Goldeck, pro 100. Marcis argenti fidejussit Anno 1283. (a) Otto Comes ab Ortenburg controversiam inter illustres quosdam ortam suo arbitrio decidit Anno 1365. (b) Fridericus Comes Anno 1380. Feuda quædam Ulrico ab Inbruck, (c) & Idem forte Anno 1406. duo prædia in Ruespach/ & Molendinum Decimasque in Weickersdorff / & aliis in locis dem Srysam von Ruespach contulit. (d) Barbara Georgii Comitis Ortenburgici Filia, Gotthardi Domini de Stahrenberg vidua, Vito Domino ab Eberstorff secundis nuptiis copulata fuit Anno 1494. cujus pacta Dotalia subscripsit Wolffgangus Comes ab Ortenburg. (e)

(a) *Archivum Statuum N. 15.* (b) *Ibi. N. 654.* (c) *Ibi. N. 1024.* (d) *Ibi. N. 1685.* (e) *Ibi. N. 3380.*

CAPUT II.

DYNASTÆ DE STUBENBERG.

Antiquiſſimæ, & inter Styriæ Proceres nulli secundæ Stubenbergiæ gentis memoria crebris in actis Archivi Statuum Austriæ usurpatur Sermonibus. Sic Wulffingus Parochus Bruccensis, Ulricus, Fridericus, & Henricus, Fratres, Domini de Stubenberg ab Ottone à Goldeck 100. Marcas argenti mutuas acceperunt, Anno 1283. data que sunt literæ in Rapsenberg Styriæ quod hodiernum in dominio Stubenbergiorum est. (a) Fridericus Romanorum Rex, consilio Henrici Regis Bohemiæ & Poloniæ, Ducis Carinthiæ, Conradi Episcopi Frisingensis, Henrici Comitis Gori-

A

tia,